

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0454

0452

0458

0448

0463

0443

0503

0403

0553

0353

0953

Ende

Anfang

440

in illis campestribus tentoria fiximus in loco, quem Arabes nominabant Ramathaym; erant autem in loco petrae cavae, non altae a terra, et in istis cavernis locavimus nos pro quiete diei: non enim poteramus manere sub tentoriis propter nimium solis ardorem, qui per pannos tentoriorum penetrabat et interiora quasi aestuarium calefaciebat. Ideo Madianitae et Arabes (**b**) et Aethiopes habent tentoria de pellibus, ne solis calor penetret, uti Habacuc III. Sic ergo quievimus in cavernis petrarum usque ad vesperas et facto vespere sarmenta collegimus et coximus cibos. Post coenam autem, dum sol occidisset, libenter in cavernis et speluncis dormivissemus, sed Calinus coegit nos descendere in campum ad tentoria nostra. Campus ille jacebat plenus pulcherrimis lapillis, qui erant perspicui et clari, diversorum colorum, nigri, albi, viridis, rubei, grisei, blavi, glauci; de quibus mirantes collegimus. Invenimus ibi etiam vestigia struthionum, magnarum avium, quae per desertum ambulant. Quales sint istae aves, dicitur fol. 83. Saepe alias eorum vestigia in deserto deprehendimus.

Processus.

Vicesima die duabus horis ante lucem a loco praedicto surreximus et recessimus. Ad finem autem desertae latitudinis venientes montana asperrima ingressi sumus per vallem spatiosam et speciosam. Habuit enim vallis ista humum floribus et graminibus opertum, in quo etiam arbores procerae erant spinarum, quae tempore illo florebant et vallem totam suavissimo odore replebant. Non videtur mihi, quod de ullo flore suaviorem odorem spirare senserim, quam de floribus spinarum; non enim alium fructum ferunt arbores illae, nisi spinas. De his arboribus dix isupra fol. 28. **b.**, ubi dixi de superstitionibus Sarracenorum, quas exercent juxta has arbores: imitantur enim in multis antiquorum paganorum errores, qui arbores florigeras et alias plantarum species suaveolentes dedicabant Hamadryadibus et Dryadibus, diis hortorum, florum et arborum. Sic et hanc vallem cum suis arboribus et floribus praefatis diis credimus singulariter fuisse dedicatam ex eo, quia nomen vallis his consonare videtur, quam vocant

